

tum autem hic dicimus libertatis, cuius nempe is erat honor, ea vis atque auctoritas, vt, pendente lite prius de liberali causa cognosceretur, quam de crimine constitueretur (*k*). Ante omnia autem tenendum, generale hoc omnium temporum *ἀξιωμα* placuisse veteribus, eos, qui nascuntur, matrum conditionibus vti (*l*), vnde notissimum illud effatum: *partus sequitur ventrem*. Prisci porro iuris conditores tempus natuitatis spectabant, adeo, vt si libera conceperit, postea ancilla facta pariat, qui inde nascatur, seruus sit. Cuius quidem rei testis dignissimus est **CAIVS** (*w*) in Institutionibus, vbi, *Regula iuris*, inquit, *hoc continet, ut qui — — non de legitimo matrimonio concipiuntur, statum sumant eo tempore, quo nascuntur.* Mox autem haec res vehementer immutata est. Iam enim **HADRIANVS** hanc normam in nonnullis deferuit, veluti, in mulieris ad ultimum supplicium damnatae partu (*n*), alii autem deinceps maluerunt conceptionis tempus spectari (*o*), vel potius, libertatis fauore inducti, nullum certum & unicum tempus praestituerunt, sed partum liberum esse voluerunt, modo mater vel momento conceptionis, vel editionis, vel denique intermedio libera fuerit, hac additratione, *quod calamitas matris non debeat nocere ei, qui in ventre est* (*p*). Quibus quidem omnibus consideratis, nemini dubium esse potest, Senatusconsulti tempore liberos, quos mater ingenua conceperat, post in servitutem de-

C 2

lapſa

(*k*) *L. 1, 3, 4 & 6. C. de ordin. cognit.*(*l*) *L. 28. & ult, C. de liber. cauf.**L. 7. C. de R. V. VLPIANVS tit. 5.**§. 5. L. 24. D. de stat. hom.*(*m*) *Instit. L. 1. t. 4. §. 9. cui adde**VLPIAN. tit. 5. §. fin. & NERATIUM in L. 9. D. ad municip.*(*n*) *L. 18. D. de stat. hom. Vid.*  
*SCHVITING. ad CAIVM loco*  
*memorato*(*o*) *L. 4. C. de poen.*(*p*) *MARCIANVS in L. 5. §. 2. D.*  
*de stat. hom. pr, I. de ingen.*